pium ratiocinandi, sive dependenter, sive etiam independenter a sensibus, quod proinde remanet in anima a corpore separata. Secundum has definitiones fatendum est, animalitatem seu corpus hominis realiter distingui a rationalitate seu anima hominis. Contra vero peripateticis animalitas est principium sentiendi, et rationalitas est principium ratiocinandi dependenter a sensibus. Animalitatis et rationalitatis exemplo, quod quidem non satis clarum est, praesentem quaestionem obscurarunt scholastici. Verum eadem, quam explicavimus, distinctione adhibita, facile solvuntur alia, quae proponi solent argumenta. Quare non est, cur inutili utamur verborum copia in tanta temporis inopia. Ceterum vehementer suspicor; totam hanc quaestionem mera logomachia laborare. Si enim per distinctionem formalem intelligant scotistae distinctionem illam, quae est inter attributa essentialia, ut nempe secernantur a modis accidentalibus, hanc distinctionis speciem admittere licebit; dummodo tamen mentalis sit tantum, et in intellectu, atque ad maiorem notionum explicationem.

CAPVT III.

De notionum signis et explicatione.

Homo ad societatem natus accepit a Deo non solum facultate cogitandi, sed etiam propensionem quamdam ad suas cogitationes cum sui similibus communicandas, ex qua communicatione societas humana, humanaeque societatis voluptas omnis exsistit. Quum autem spirituales sint mentis cogitationes, eas signis quibusdam, quae sensus adficiant, exprimi necesse est. Neque vero humana mens corpori illigata sine ope consortioque sensuum cognoscit alterius hominis cogitationes. Nostras autem ideas sive notiones definitione ac divisione potissimum explicamus. Esto igitur

ARTICVLVS I.

De notionum signis.

I.

Signum generatim definiri potest: *id, quod nos in alterius rei, vel praesentis, vel futurae, vel praeteritae cogitationem inducit.* Sic fumus adscendens signum est ignis praesentis; coelum nubibus vi occidentalis * venti

* *Romae. Nam Valentiae talis ventus est orientalis, vel inter orientalem et septentrionalem medius.*

advectis obductum est signum pluviae imminentis; solum humidum est signum pluviae delapsae. Igitur signum aliud est *demonstrativum*, nempe, *si res significata praesens sit.* Sic ex vultu, voce, gestu hominem iratum intelligimus. Aliud *prognosticum* est, *si res significata futura sit*, qualia sunt signa tempestatis imminentis. Aliud denique *rememorativum* seu *memoriale* vocatur, *si res significata praeterita sit*, qualis est iris, signum foederis, quod Deus cum Noëmo pepigit.

II. Signum iterum dividitur in *naturale*, et *arbitrarium* seu *artificiale*. *Naturale* signum est, *quod rei ipsius significatae rationem in se ipso continet*; sive signum et res significata per rerum naturam coëxsistant, ut fumus adscendens et ignis, sive se invicem sequantur, ut soli humiditas et pluvia delapsa. Vnde signa naturalia dicuntur etiam necessaria, quia positis signis naturalibus, ponitur ratio significationis, ac proinde res ipsa significata. Hinc signa illa ex hominum instituto et arbitrio non pendent. Signis naturalibus opponuntur signa *artificialia* seu *arbitraria*, et ea sunt, *quorum vis significandi ab ipso voluntatis arbitrio pendet*, ut sunt notae numericae, quibus ad designandos numeros utimur in arithmetica. Hinc signum arbitrarium per se est indifferens ad quamlibet significationem ideoque fieri potest, ut eidem signo tribuantur diversae vel contrariae significationes, et eiusdem rei diversa signa constituantur.

III. Animi nostri cogitationes ac sensus voce, scriptura et gestu exprimimus. *Vox* definiri solet: *sonus articulatus ab homine prolatus ad exprimendas animi cogitationes institutus.* Dicitur *sonus articulatus*, id est, per syllabas quasi per articulos distinctus, ut a confusis belluarum vocibus v. g. mugitu bovum, balatu ovium, latratu canum cet. discernitur. Additur *ad exprimendas animi cogitationes institutus*, ut a vocibus psittacorum vel picarum vocabula temere effundentium secernatur. Scriptura aliquo modo pertinet ad voces, quarum vices gerit, eaque est *hieroglifica*, aut *vulgaris*. *Hieroglifica* est: *imago quaedam sensibilis rem aliquam prius significans, quam vocem.* Sic oculo in extremitate baculi posito Dei providentiam significabant aegyptii. Scriptura *vulgaris* est: *figura sensibilis, permanens vocesque prius significans, quam res ipsas vel rerum ideas.* Gestus est: *totius corporis vel partium ipsius sensibilis motus, animi cogitationes, ac potissimus adfectus exprimens.* Nam non solum ore, sed oculis, naso, manibus, corporis situ, habitudine cet. loquimur, ut ita dicam, animique nostri adfectus consequuntur naturaliter motus quidam sensibiles in partibus organicis corporis. Sic dolorem gemitus et suspiria saepe consequun-

tur, laetitiam risus et cachinni, timorem pallor, pudorem rubor in facie, iram ardor in oculis cet. His positis definitionibus, quaedam circa vocum significationem et usum quaestiones solvendae sunt.

QVAESTIO I.

(*An voces sint signa arbitraria.*)

Nonnulli existimarunt voces non ex hominum institutione, sed a natura ipsa vim significandi habere. Dubitarunt aliqui, utrum voces res ipsas, an cogitationes tantum nostras significasent. Stoicis tandem visum est, nihil esse obscenum, nihil turpe dictu, ut refert Cicero *epist. 22. ad Papirium poëtam.* Quamvis autem statim pateat opinionum earum falsitas, eas tamen, pro scholarum more, duabus conclusionibus refellere et explicare, non abs re erit.

CONCLVSIO I.

(VOCES SVNT SIGNA ARBITRARIA, TVM COGITATIONVM NOSTRARVM, TVM IPSARVM RERVM.)

Prob. Signa illa sunt arbitraria, quae per se indeterminata sunt ad quamlibet significa-

tionem et ex hominum arbitrio ac conventione certis rebus significandis sunt destinata; atqui voces sunt signa huiusmodi; ergo voces sunt signa arbitraria, tum cogitationum nostrarum, tum rerum. Prob. min. Nulla est naturalis vocum seu sonorum cum rebus, quas significant, connexio vel similitudo, et apud diversas nationes eamdem habent significationem voces prorsus diversae. Sic *Deus* latine, Θεός graece, *Got* germanice, *Bog* polonice ens perfectissimum significant. Vocabulum autem *bog* anglis voraginem exprimit. Voces igitur per se indifferentes sunt ad rem quamcumque significandam, et ex hominum inter se societate coniunctorum conventione atque usu vim habent significandi. Quod autem et notiones nostras et ipsas res significent, evidentissimum est. Nam per voces aliis manifestamus cogitationes nostras, et aliorum cogitationes cognoscimus. Quia vero notiones nostrae sunt ipsarum rerum repraesentationes; patet quoque, voces esse ipsarum rerum signa. Sic vox *homo* dum effertur aut scribitur, non solum hominis nomen indigitat, sed et rem ipsam hoc nomine repraesentatam. Et quamvis eo consilio excogitatae sint voces, ut quisque alteri suas cogitationes aperiat; tamen qui audiunt, magis ad res ipsas vocibus significatas, quam ad loquentis conceptus advertunt animum, licet primaria loquentis intentio sit, ut conceptus suos exprimat.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

Obiect. 1. Vulgare fert axioma: *sapientis est nomina rebus imponere;* ergo non est hominum arbitrio et temere, sed ex natura ipsa nomina aut voces rebus imponuntur. Resp. dist. ant.; sapientis est rebus imponere nomina *derivativa*, C., *primitiva*, N. ant. Et sic pariter dist. conseq. Nomina *primitiva*, N. cons., nomina *derivativa* subdist.: nomina *derivativa* non sunt *pure* arbitraria, C. non sunt *partim* arbitraria, N. cons. Itaque duplicis generis signa distinguuntur, *primitiva* et *derivativa*. *Primitiva* sunt ea, *quae ab aliis signis anterioribus ortum non ducunt*, ut in sermone vocabula primitiva, et in arithmetica notae numerorum solitariae. Signa *derivativa* sunt, *quae ab aliis anterioribus ortum ducunt*, ut vocabula, quae ex aliis iam constitutis formantur, ita etiam plures notae numerorum simul combinatae. Si vero signa *primitiva* omnino arbitraria denotent notas rerum, et iis signis combinatis formentur alia, quae distincte notas illas repraesentent ad rem significatam agnoscendam, et ab aliis distinguendam sufficientes; tum haec signa derivativa non sunt *pure* arbitraria; pendent tamen *partim* ex signis primitivis omnino arbitrariis. Porro licet signa primitiva prorsus arbitraria sint; sagacitas tamen non vulgaris necessaria est, ut ex illis derivativa apte formentur et combinentur.

Obiect. 2. Legitur *Genes. 2.: omne quod vocabit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius;* ergo quae Adamus imposuit nomina, naturalem habent significationem. Resp. eum esse s. scripturae sensum, quod nomina, quae Adamus imposuerat, adhuc Moysis tempore perstarent, non quod naturali significatione donarentur. Quamquam id fateor, multas esse voces, quae ex natura sua quamdam habent aptitudinem, ut certas res significent, ut *hinnire*, *ululare* et alia huiusmodi; sed quod actu significent, id habent ex hominum voluntate.

Obiect. 3. Herodotus narrat, quod quum miles persa Croeso regi Lidiae mortem intentaret; huius filius mutus a nativitate prorupit in hanc vocem: *miles, ne occidas Croesum*, ipsumque morti ita eripuit; ergo voces sunt signa naturalia. Resp. Multas ab Herodoto fabulas narrari, inter quas forte locum habet factum, quod obiicitur. Si autem verum credatur, et minime supra vim naturae; dici potest Croesi filium mutum quidem, sed non surdum fuisse, et rupto impedimento linguae in illas voces prorupisse, quas forte saepius proferre ab infantia tentaverat, nec potuerat ob linguae vinculum.

Obiect. 4. Si voces sunt cogitationum nostrarum signa arbitraria, intelligi non potest,

quomodo possit, sono ab homine prolato certa idea sic alligari, ut quoties idem sonus aures percellit, illa idea statim recurrat, et cum eo sono coniungatur; ergo voces sunt signa naturalia. Resp. 1. permisso antecedente N. cons. Multa enim per experientiam novimus certissime, quorum rationem reddere non possumus. Resp. 2. Eum esse animi et corporis nexum ab auctore naturae constitutum, ut certos motus cerebro impressos statim quaedam animi notiones consequantur et contra. Quumque idea vel semel vel saepius coniuncta fuit cum aliquo motu fibrarum cerebri; quoties eadem recurrit idea, idem excitatur motus et vicissim. Si vero ideas duas simul percipiamus, respondentes etiam fibrarum cerebri motus simul excitantur, et quoties deinde ex illis ideis una producitur in mente, nascitur etiam altera. Ac simili modo quoties motus cerebri ideae alicui respondens iteratur, motus quoque alter ideae alteri conveniens excitatur. Quocirca quum infanti res aliqua, ut fructus, ostenditur et proprio nomine exprimitur, statim et fructus et vocis ideae simul animum subeunt, et motus duo iis ideis respondentes in cerebro producuntur, ac sua veluti vestigia in eo relinquunt, ita ut unum vestigium cum altero coniunctum sit. Iam si iteratis vicibus ostendatur fructus, et illius nomen simul proferatur, crebra illa repetitione et vehementi infantis desiderio fit,

ut vestigia cerebro adhuc molli ulterius imprimantur et arctius coniungantur. Vnde tandem prolato fructus nomine non solum vocis idea, sed etiam ipsius fructus notio ob vestigiorum in cerebro coniunctionem excitatur. Tumque infans similem vocem formare tentando nititur, et paulatim articulatas voces exprimere discit. Quum autem voces hominum arbitrio confictae naturalem non habeant cum ideis, quas significant, connexionem; hinc magna difficultas oritur in signis ediscendis, et intelligendis auctoribus, quorum verba nobis familiaria non sunt. Et ideo scripta, in quibus vocabula reperiuntur nobis nondum satis nota, lente legenda sunt, si vocabulorum significationes in mentem non recurrant, statim ac vocabula proferuntur aut leguntur.

CONCLVSIO II.

PLVRES SVNT IN VARIIS LINGVIS VOCES, QVAE PRAETER PRIMARIAM SEV PRINCIPALEM SIGNIFICATIONEM, ALIAM EX VSV HABENT ACCESSORIAM, QVA FIVNT OBSCENAE VEL IMPVDENTES, AVT CONTRA HONESTAE ET VEREGVNDAE.

Prob. exemplo et ratione. Si quis dicat alteri, *mentiris*, nihil primario per hanc vocem significatur, quam: *dicis alter ac sentis*. Sed ex usu aliquis contemtus, aut lae-

dendi adfectatio in ea voce *mentiris* includitur, qua fit ut quisque illa soleat offendi, non vero ista oratione, *dicis aliter ac sentis*: ergo praeter principalem signifieationem vox ista *mentiris* aliam accessoriam ex usu adiunctam habet. Similiter voces plurimae praeter rem turpem, quam primario significant, impudentiam et protervitatem loquentis referunt ex usu. Et inde fit, ut quaedam voces certis temporibus honestae et verecundae, postea ex usu evadant obscenae et impudentes. Huius rei ratio haec est, quod dum aliquo adfectu ducimur, vocibus, quibus res ipsas volumus significare, accommodamus gestum; tonum totamque corporis habitudinem, ita ut primariae vocis significationi accedant nostrorum adfectuum indicia, quae significationem principalem augent, minuunt et multis modis variant. Nimirum quae nefaria sunt et illicita ab hominibus probis damnantur, improbis placent: probi gestu et tono vocis nefaria exhibent, ut nefaria et sibi ingrata; improbi vero, ut grata et licita. Vnde tandem usus fecit, ut quoties leguntur et audiuntur voces illae, quibus improbi cum certo gestu, certa modulatione vocis rem turpem et pravum adfectum suum solent exprimere; statim in mente excitetur obscenitatis et inverecundiae impressio, etiam dum ab ingenuis, et ideae accessoriae ignaris hominibus sine eodem gestu, sine eadem vocis modulatione pro-

feruntur. Contraria ex causa factum est, ut aliae voces loquentis et scribentis modestiam, verecundiam, pudorem, probitatem significarent. Ab improbis ergo venit, ut quaedam voces in sua primaria significatione minime turpes, tandem turpes evadant.

Obiect. stoicorum. Vocum obscenitas ex rebus ipsius ortum duceret, vel esset in vocibus tantum; neutrum dici potest; ergo nulla est in vocibus obscenitas neque accessoria. Prob. min. Non nascitur ex ipsis rebus, quum res illae quantumvis turpes aliis vocibus citra turpitudinem exprimi possint: multo minus est obscenitas in vocibus, quae per se sunt signa arbitraria; ergo nulla omnino est in vocibus obscenitas. Resp.: obscenitatem vocum non ex rebus ipsis primario significatis nasci; obscenum quippe non est, rem turpem exprimere, modo id verecunde et selectis vocabulis fiat: neque etiam ex ipsis vocibus, quae per se non magis aliquid turpe, quam honestum exhibent; sed ex pravis adfectibus, quos praeter principalem significationem ex usu repraesentant in loquente, ut supra exposuimus.

QVAESTIO II.

De vocabulorum usu.

I.

Vocabulis utimur, ut notiones, quae in men-

te latent, mutuo communicemus seu manifestemus, quod ut fiat, necesse est, iisdem vocabulis easdem iungi notiones. Quare loquentis et scribentis mentem adsequi non possumus, si vocabulis, quibus ille unitur, nullam, vel fallacem, vel obscuram ideam subiiciamus. Loquentis vero mentem pervertimus, si vocibus ab eo usurpatis alias, quam ipse habet, notiones iungimus, tumque res perinde se habet, ac si lingua ignota nobiscum uteretur.

II. Vocabulis utimur, ut notiones nostras resque iis repraesentatas, quantum fieri potest, expedire et perspicue aliis aperiamus. Ad quod praestandum nihil accomodatius quam vocabula inveniri poterat, tum propter eorum copiam et varietatem, tum propter eximiam sermonis facilitatem et brevitatem. Expedite autem et perspicui ab aliis hominibus intelliguntur ii, qui ab usitata verborum significatione non recedunt: qui voces inanes vitant et obscures aut vagas accurate definiunt. Si autem vocibus aliam tribuimus significationem, quam quae usu recepta est, mentem nostram alii non possunt adsequi, aut difficilius adsequuntur, etiam dum ipsas voces definimus; quia iis prolatis recurrunt notiones, quas cum illis iungere consueverunt. Vsitatam vero vocabulorum significationem discimus ex eorum hominum scriptis aut sermonibus, qui claras ac distinctas rerum notio-

nes habent, easque lectissimis et accuratissimis vocibus exprimere solent.

Ab ipso praesertim studiorum exordio voces omnes pedetentim examinandae sunt, iisque singulis alligandae notiones, quantum fieri potest, distinctae. Nihil audacter pronuntiandum est circa res incognitas, novas et nondum accurate consideratas. In qualibet materia distingui debent ea, quae distincte percipimus ab iis, quae confuse tantum et obscure cognovimus. De his alios interrogare et dubia nostra proponere oportet. Si autem usitatae voces obscuram aut vagam habeant significationem, eas ad certam et claram significationem reduci necesse est. Quod facile fit, dum notiones distinctas habemus, et novimus vocabula, quibus singulae notionum notae clare exprimuntur; has enim notas alteri, qui vocabula etiam clare novit, enumerando, ideas nostras cum ipso communicamus. At notiones, in quibus nihil distinguimus, quas proinde nullis vocabulis possumus explicare, alteri manifestamus, adhibito in auxilium obiecto aliquo, quod illam notionem excitare possit, ut si dicamus, colorem caeruleum eum esse, qui in coelo sereno apparet.

III. Quoniam a teneris unguiculis ideas cum vocibus colligare didicimus, ita necessaria videtur inter notiones et voces ipsas coniunctio, ut quum apud nos taciti cogitamus,

vix temperare possumus, quin tacito quodam sermone animi sensa exprimamus. Vnde fit, ut meditari nihil aliud sit, nisi, ut ita dicam, interius secum colloqui. Itaque ad recte cogitandum necessarium est, interius saltem et cum se ipso accurate loqui, ac proinde cogitationum perspicuitas ex ipsa sermonis perspicuitate plurimum pendet, et versa vice. Hinc persuadere mihi nullatenus possum, obscuriori sermone peccare homines qui in aliqua materia probe versati sunt; dummodo tamen cum intelligentibus viris et in eodem quoque argumento versatis sermonem habeant. Fieri quidem potest, ut viri docti non loquantur eleganter, sed nitide et perspicue suas ideas explicabunt, nisi obscuritas quod aliquando contingit, quaesita fuerit atque adfectata. Quare obscuritas ignorantiae iudicium esse solet, aut in homino loquente, aut in audiente.

IV. Notio distincta notas continet, quas in re aliqua observatas probe distinguimus. Quamobrem si notae singulae propriis vocabulis enuntientur, tum clarissime constat, quot et quasnam notas data notio involvat, et utrum plures sint, an pauciores, quam quae sufficiunt, dignosci potest. Iam si quis singula notarum vocabula noverit, ea alteri enumerare valet, ac proinde et notionem integram, quae ex omnibus notis componitur, distincte communicare.

V. Notio obscura notas insufficientes continet, ac proinde notas necessarias nominibus suis exprimere, et a se invicem discernere non possumus. Idem dicendum est de notione confusa, in qua notae non distinguuntur, ac proinde nec verbis possunt distingui. Vnde plerumque fieri solet, ut de re aliqua confuse cogitantes ad alia attendamus, quae ad ipsam rei notionem minime pertinent, ac proinde vaga est et minime fixa rei notio; ideoque vagum et minime fixum vocabulum hanc notionem exprimens. Attamen si notio confusa nihil distincti contineat, fixa manet ac determinata significatio vocabuli, quo repraesentatur notio illa. Sic quia in notione coloris rubri nihil distinguimus, vox *rubedo* eamdem semper significationem retinet. Quum enim notio illa licet confusa, clara tamen sit, notas exhibet ad rem agnoscendam atque ab aliis discernendam sufficientes. Quia vero nihil prorsus distincti continet (*ex hypothesi*), in notis enumerandis errare non possumus. Quum itaque vocabulum eamdem rem sine ulla mutatione constanter exhibeat, significationem fixam habet. Verum si notio confusa aliquid distincti contineat, hoc est, si in re confuse percepta, nonnulla sint, quae distingui possunt, variationem aliquam admittere potest vocabuli significatio. Etenim aliqnando accidit, ut ea sola, quae discernimus ad no-

tionem referamus, reliqua vero omittamus, atque ita vocabuli significatio restringitur. Exemplo esse poterit vox *mundus*. Aliqui confusa notione sibi repraesentant mundum, tamquam compositum ex coelo et terra, deinde in coelis distinguunt sidera, in terra mineralia, fluvios, alia deinde. Alius autem ad alia attendit, et mundum sibi aliter imaginatur, prout haec vel illa corpora potius observat. Atque hinc oritur vaga huius vocis notio, qua fit, ut apud quosdam significet spatium universum corpora omnia continens, apud alios corpora contenta tantum, nunc solam terram, aliquando solum genus humanum. Ex his porro manifestum est, vagam esse significationem vocabuli, quod exprimit notionem obscuram, vel notionem confusam, quae aliquid distincti admixtum habet. Contra qui enumerare valet notas distinctam notionem adaequatam componentes, is vocabulo notionem illam exprimenti fixam significationem tribuit. Distinguit enim notas sufficientes ad rem in statu quolibet agnoscendam et ab alia qualibet distinguendam: novit vocabula singulis notis propria, ideoque apto vocabulorum usu notionem reddit fixam et facile communicandam.

VI. Si eiusdem rei plures formari possunt distinctae notiones, vocabuli significatio eadem est quamcumque ex illis notionibus eidem vocabulo iungere volueris. Etenim singulae huiusmodi notiones exhibent notas ad rem agnoscendam et ab illis distinguendam sufficientes. Quare vocabulum quamlibet ex his notionibus indigitans, non nisi eidem rei tribuitur, eamdemque proinde significationem habet. Sic trianguli nomen rem eamdem significat, sive intelligas spatium tribus lineis concurrentibus terminatum, sive figuram in qua sunt tantum tres anguli. Similiter vocabuli significatio eadem est in duobus hominibus, quorum alter distinctam rei notionem habet, alter vero eiusdem rei claram quidem sed confusam, quia notio clara sufficit ad rem agnoscendam et ab aliis distinguendam, licet in ea non distinguantur notae, E. g. qui geometriae practicae operam navant, definitiones figurarum negligere solent, atque solo figurae intuitu claram vocabulorum notionem sibi efformant. Qui vero theoriam sibi familiarem reddit, definitiones tamquam demonstrationum principia adhibet, atque ideo vocabulorum, quibus figurae indigitantur, notiones distinctas habet.

VII. Frequenti usu non ita nobis familiaria reddimus vocabula, ut ea non satis intelligere arbitremur, licet ad ipsas vocabulorum notiones non attendamus, tumque loco notionum earum signa substituimus, quod in tanta loquendi celeritate saepe fieri necessum est. Praeterea saepe inania adhibentur vocabula, quae notionem aliquam significare cre-

duntur, quamvis vanissimi sint soni. Quod qua ratione fiat, explicandum est. Si ex vocabulis simplicibus, quibus singulis sua respondet notio, formatur vocabulum complexum, videmur nobis, habere notionem vocabulo complexo respondentem, licet haec re vera inanis sit. Si enim singulis vocabulis, ex quibus complexum vocabulum formatur, sua respondet notio nobis perspecta, eo prolato, mentem nostram subeunt notiones vocabulis simplicibus respondentes, ideoque intelligere nobis videmur mentem propriam, vel mentem alterium complexam vocem proferentis. Fieri autem potest, ut notiones ea repraesentent, quae simul esse non possunt, ideoque ut vocabulum complexum contradictionem involvat: quamobrem et notio ipsa inanis est. Sic bilineum dicitur spatium duabus lineis comprehensum. Si quis autem bilineum rectilineum dicat, tum illius mentem nobis videmur intelligere, atque bilinei rectilinei distinctam habere notionem, quae tamen inanis est, quum repugnet, spatium duabus lineis rectis comprehendi. Igitur nomen complexum inane est, quamvis simplicibus vocabulis sua respondeat distinctu notio. Huiusmodi vocabula inanis omnino notionis etiam inter eruditos frequentissima sunt. Si quis rei, quam observat, rationem redditurus, causam vocabulo indigitaverit, huic autem vocabulo non aliam, quam rei observatae notionem

iungat, tum sibi videtur, habere notionem vocabulo respondentem, quamvis haec revera inanis sit; nam rei observatae notionem aliquam habemus. Et quoniam ea, quae sunt vel fiunt, ab aliqua causa sunt vel fiunt; patet, utique, causam aliquam rei observatae esse debere, quam vocabulo aliquo indigitamus. Videmur autem nobis aliquando habere notionem vocabuli illius, quatenus denotat causam rei observatae. Et quidem dum quis causam, et id, cuius rationem reddere debet, considerat, haec a se invicem distinguit tamquam entia duo, quorum unum alterum non est, et tamen non nisi unius notionem habet, nempe eius, quod observat, causae, cuius sibi notionem aliquam habere videtur, revera nullam habens notionem. Itaque inane est vocabulum, quo eam indigitat. E. g. observamus ferrum a magnete attrahi, notionem habemus huius attractionis, quatenus est phaenomenon quoddam seu effectus naturae. Adesse debere phaenomeni huius causam, ratione convincimur. Eam licet adhuc ignotam vocabulo aliquo designamus, soletque appellari *vis attractrix*. Iam si quis notionem phaenomeni seu effectus a se observati transfert ad causam, eamque considerat per modum entitatis in magnete, per quam motus ferri ad magnetem mutuaque adhaesio producitur; tum sibi videtur habere notionem vis attractricis, quum tamen nullam habeat.